

dum dicimus definitionem accidentis esse medium demonstrationis, non excludimus reliqua principia demonstrativa, sed includimus: quæ ut melius percipias, sic habendum est. Principia demonstrationis sunt vel axiomata, vel theses. Axiomata sunt principia per se nota, quæ sine expositione doctoris intelliguntur: ut, totum est majus suâ parte; Deus est bonus; felicitas est expetenda; unicuique suum est reddendum; omne bonum est faciendum, omne malum fugiendum. Theses sunt principia, quæ quidem doctoris expositione non egent, sed tamen axiomatis sunt inferiora claritudine. Suntque vel definitiones, de quibus modò diximus; vel hypotheses, quas supponit demonstrator, tanquam veras, quibus nemo sanus contradicat: ut, omnes anguli recti inter se sunt æquales; humana societas non stat, nisi quidam regant, quidam regantur; vel denique postulata, quæ Græcis dicuntur *αἰτήματα*, quæ sunt theses, quibus demonstrator fidem haberi postulat, licet quibusdam videantur absurdæ: ut, Solem esse majorem terrâ.

Demonstratio alia est *τῆ δίοτι*, propter quid, alia *τῆ ὄτι*, quòd sit. *Illa dicitur à priori, hæc à posteriori.*

Hæc distributio probatur ex iis, quæ modò dicta sunt ad *ἐξήγησιν* canonis quarti. Breviter rem totam attingemus. Omnis nostra cognitio à sensu incipit. Cùm igitur prisci homines effecta singularia sensibus obversantia viderent, nec satis assequerentur primo intuitu, multiplici meditatione causas investigarunt, itemque universalialia ex similitudine observatâ in singularibus collegerunt. Et hæc discendi via satis fuit operosa. Sed post causas inventas via discendi facta est compendiosior. Nam à causis incipientes possumus ex iis effectorum scientiam acquirere methodo longè præstantiori. Nam qui ex effectu cognito causam quærit, cùm adeptus est, quod intendit, nondum cognoscit causam, cur sit id quod quærit, sed tantùm cognoscit illud esse: ut qui cognitâ inæqualitate pulsus, ex eo concludit esse febrem, nondum scit cur sit febris, sed tantùm scit esse febrem. Qui verò dicit, est febris: ergò est pulsus inæqualis; non solùm cognovit inæqualitatem istam esse, sed etiam cur